

barbo subiugaris, rege, suo regno iterum restituito: & quod omnium maximum est, sic semper fueris animo tuo moderatus, vt ex acerbissimis hostibus amicos tibi affinesq; pararis: docuerisq; nec eos bello vinci posse, qui tuis pugnent auspicijs: nec tuā maiestātē a quoq; posse beneficentiā vlla superari. Quis autē satis possit illud pro rei dignitate laudare, quod annis superioribus ad tollendas Christianæ fidei cōtrouersias, quas iam pridē fera pessima excitauit, tanta diligētia, tantisq; sumptibus apud Germaniæ principes egeris, vt exorta ante aliquot annos dissidia, cōmodissima ratione tollerent. Deinde non fueris grauatius in ipso Africaniæ tuæ victoriæ cursu Romā proficisci, ac cū S. D. nostro Paulo summo pontifice, eius nominis tertio, ea de re prudentissime consultare, atq; hortari, vt q̄primū indicere more maiore sacrum Concilium generale, quū hoc ipsum vnicū rerum componendæ tranquillandarumq; remediū videretur. Hæc antea conueneris, q̄ sacratissimo Cardinalium collegio subscribente, atque probante, fuerit per hunc ipm pontificem vere maximū indicta synodus vniuersalis, vt vocant, quā speramus, extinctis ac suppressis hisce bellorū tumultibus, propediē feliciter successurā. Verū quoniam ad rerū futurarū prouidentiam mirū in modum conducibile est, ea quæ superioribus temporibus a viris prudētissimis acta sunt atq; prudenter excogitata, penitus cognouisse, vt in templo domini pro nostra quoq; virili duo minuta offerremus, exēplo pauperulæ illius viduæ, cuius laus est in euangelio, per varias antehac bibliothecas diligenter inuestigauimus veterē schedas & exemplaria, in quibus acta Conciliorū generalium continerentur, vt quæ in libris hæctenus typis exculis vel deprauata fuerant, vel etiā prætermissa, non absque summa fruge lectoris emendatiora in lucem, locupletioraq; prodirent. Hoc opus tuæ sacratiss. maiestati dedicare visum est, vt qui pro maximo splendore Imperij, Christianæ fidei protector atq; defensor es eximius, id quod multis iam antea præclarisq; testimonijs orbe comprobasti, Conciliorū quoque generalium acta omnia, quæ ad nostrā peruenerūt ætatem, in quibus plerunque de rebus fidei summis, magnis animorū motibus disceptatum esse constat, veluti in numero habeas: sciantq; populi vniuersi, te principe, de rebus hæctenus optime constitutis, ac diuini spiritus consilio ac inspiratione probatis, nihil a quoq; posse conuelli. Quod autem ad meam tenuitatē attinet, in hoc tanto opere nihil mihi arrogo p̄ter qualem qualem diligentiam, quā pro meo modulo præstiti in inuestigandis veterē commentarijs, quoquoque vsquā gentium reperire potuerim. Quā sedulitatem si tuæ sacratiss. maiestati placuisse cognouero, abunde satis magnū fructum vigiliarū mearū mihi videbor esse consequutus. Oraturus perpetuo deum optimum, maximū, vt hunc tuæ maiestatis animū iuuandæ modis omnibus, pacādāq; religionis, fouere dignetur ac amplificare, tuæq; sacratiss. maiestati prosperitatem felicitatemq; largiri. Ex Machlinia, tuæ quondam pueritiæ alumna suauissima, officiosissimacq; Kalendis Ianuarijs, Anno a natali Christiano, M. D. XXXVIII.